



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 8. De praecepto charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

simul se suaeque omnia ulterius refert ad Deum. Amat conjunctionem sui cum Deo, subjectionem sui ad Deum, gloriam Dei extrinsecam ut suum interesse, ut suum bene esse; sed simul illud suum interesse, illud suum bene esse amat ut bonum extrinsecum Dei, in quo sistit ut sine ultimo, propter absolutam suam bonitatem super omnia dilecto.

Obj. 3. Perfectus appetit possessionem Dei per amorem charitatis, juxta illud S. Augustini lib. 3. de doctr. christi. c. 10. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum.* Ergo perfectus non appetit possessionem Dei & per amorem concupiscentiae. *R.* N. conf. Perfectus itaque appetit possessionem Dei & per amorem charitatis & per amorem concupiscentiae: per amorem quidem charitatis, appetendo illam ut possessionem amici propter se, seu propter bonitatem suam absolutam dilecti; per amorem verò concupiscentiae, appetendo illam ut possessionem summi boni, adeoque possidentis per possessionem sui summè perfectivi, ac proinde propter summam suam bonitatem respectivam amati. Hoc autem utroque modo possessionem Dei appetendo, perfectus duplici pondere ad Deum fertur vehementius, & veluti ala duplici sublevatus, terrena despiciens, facilius assurgit ad caelestia.

ARTICULUS VIII.

De Praecepto Charitatis.

PROPOSITIO I.

Datur charitatis praecipuum ab aliis omnibus distinctum.

Prob. ex Deuter. cap. 6. ubi dicitur: Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c. Quibus verbis exprimitur vel praecipuum speciale, vel merum consilium. Secundum dici non potest, & contextui manifestè repugnat. Ergo his verbis exprimitur speciale praecipuum. Præterea, Christus Matth. c. 22. hæc eadem verba recitat, & continuo subiicit: *Hoc est maximum & primum mandatum.* At primum & maximum mandatorum non potest non esse speciale mandatum, & ab aliis omnibus mandatis distinctum & diversum. Ergo, &c.

Potest praecipuum hoc duplex esse, positivum scilicet & negativum. Positivum praecipit actum amoris, quo Deus diligitur propter se, seu quia in se bonus est. Negativum verò prohibet actum huic amori oppositum, nempe odium ininimicitiae, quo quis Deo operatur malum aliquod; ut si operatur eum non esse, aut non esse justum, aut ignorare ea quae hic sunt, &c. Hoc autem peccatum nunquam fieri potest veniale ex parvitate materiae, seu ex parvitate mali, quod operatur Deo, & mortalium omnium gravissimum est. Quid enim gravius esse potest, quam velle malum, qualecumque sit malum illud, Enti supremo, summè bono, adeoque summè amabili? Quare praecipuum charitatis negativum obligat semper & pro semper; cum nunquam licitum esse possit odire Deum. Sed de positivo quaeritur, quando nam obliget? Pro resolutione, sit

PROPOSITIO II.

Praecipuum charitatis positivum aliquando per se obligat, & aliquando per accidens tantum.

1. Obligat per se omnes, ubi primum post acceptum rationis usum, sufficientem Dei notitiam habent: tunc enim tenentur sub gravi sese ad Deum convertere, non solum ut summum suum bonum, quod sit per amorem spei, sed etiam ut rerum omnium finem ultimum, propter quem creata sunt omnia, & ad quem proinde omnes se suaeque omnia referre debent; quod fieri non potest, nisi per amorem charitatis.

Cum autem dicimus: Ubi primum post, &c. sufficientem Dei notitiam habent; addendum judicamus: Vel habere possunt; ita ut non nisi ob gravem suam negligentiam hac notitia careant: tunc enim non

nisi ex ignorantia graviter culpabili ignorant obligationem convertendi se per actum charitatis ad Deum, ut finem ultimum rerum omnium: unde talem actum omitendo, contra praecipuum charitatis graviter peccant peccato ignorantiae. Quare parentes, Parochi, & Confessarii pueros qui ad usum rationis proximè accedunt, aut etiam cum attigisse videntur, diligenter de obligatione amandi Deum admonere, & ad eum amandum excitare debent.

2. Per se obligat identidem, imò saepe in decursu vitae: ita ut sub gravi teneamur in vita decursu identidem, imò saepe actus charitatis elicere. Hoc enim postulat ratio amicitiae divinae. Hoc postulant continua Dei beneficia. Hoc exigit ratio finis ultimi, ad quem nos nostraeque omnia identidem, imò saepenumero referre, ex natura rei non possumus non obligari. Hoc denique non obscure significatur Deuter. c. 6. ubi post verba superius laudata, continuo additur: *Eruntque verba haec, quae hodie praecipio tibi, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque confurgens: & ligabis ea quasi signum in manum tuam, & movebuntur inter oculos tuos, scribesque, &c.* Ad quid autem haec omnia, si raro praecipuum charitatis obligat? Quamvis autem in eliciendis charitatis actibus mora sit graviter culpabilis, determinandum relinquimus iudicio prudentium.

3. Per se obligat in mortis articulo, seu in morali vitae periculo. Nam si in principio vitae moralis graviter tenemur convertere nos ad Deum, non solum ut summum nostrum bonum per amorem spei, sed etiam ut rerum omnium finem ultimum per amorem charitatis, à fortiori ad idem tenemur in termino illius moraliter instante. Tunc igitur graviter obligat praecipuum charitatis, cujus obligationis moribundos, qui eis in extremis assistunt, Parochi vel Confessarii admonere, vel eos ad eliciendos ejusmodi actus excitare & adjuvare debent.

4. Obligat etiam per accidens in variis casibus; ut cum quis probabiliter judicat hic & nunc actum charitatis sibi necessarium esse ad vincendam gravem aliquam tentationem; cum quis sibi conscius peccati mortalis, non habet copiam Sacerdotis, & tamen morali aliqua necessitate adigitur vel ad celebrandum, vel ad ministrandum aut suscipiendum aliquod Sacramentum: tunc enim tenetur perfecte conteri, quod non potest sine actu charitatis, &c.

Addo hic, eum qui versatur in morali vitae periculo, sive conscius sibi sit peccati mortalis, sive non, sive copiam habeat Confessarii, sive non habeat, teneri ad actum charitatis, etiam ex praecipuo charitatis propriae; quia tunc ex praecipuo charitatis propriae tenetur salutem suam consulere modo securissimo, quod facere non potest, nisi per actum charitatis, qui solus per se sufficit ad supplendos defectus, si qui forte intervenerint in susceptione sacramentorum. Sed quaeritur ad quid obliget praecipuum charitatis? Pro resolutione, sit

PROPOSITIO III.

Praecipuum charitatis obligat ad amandum Deum propter se eum summa appretiatione.

Prob. 1. Obligat ad amandum Deum propter se: nam amare Deum propter se, est illum amare, quia in se bonus est, adeoque propter bonitatem suam absolutam. Atqui praecipuum charitatis obligat ad amandum Deum propter bonitatem suam absolutam. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam charitatis praecipuum obligat ad amandum Deum propter objectum formale charitatis; alioquin non obligaret ad actum charitatis, quod est absurdum. Atqui objectum formale charitatis est bonitas Dei absoluta. Ergo, &c.

2. Obligat ad amandum Deum cum summa appretiatione: nam summam appretiationem hic dicimus eam, qua Deum omnibus aliis diligibilibus sic affectivè praefereamus, ut affectivè parati sumus aliis omnibus omnino bonis in aeternum carere, quam Deum graviter offendere. Atqui praecipuum chari-

tatis

tatis obligat nos ad Deum omnibus aliis diligibilibus sic affectivè præferendum, ut affectivè parati simus aliis omnibus, &c. Hanc enim saltem affectivam Dei prælationem exigit excellentia infinita bonitatis Dei absolutæ, quæ est objectum formale actus, ad quem obligat nos charitatis præceptum, Ergo, &c.

Quæres. Utrum præceptum charitatis obliget etiam ad amandum Deum cum summa intentione?

R. Non obligare; nam si præceptum charitatis obligat nos ad amandum Deum cum intentione summa; vel cum intentione summa absolute, hoc est, tanta, quanta secundum legem Dei ordinariam potest esse in via; vel cum intentione summa respectivè ad omnem aliam intentionem, quacum creaturas diligimus. Neutrum dici potest. Non primum. Nam 1. præcepta divina non obligant ad actus, qui non sunt in nostra potestate cum ordinariis gratiæ auxiliis. At amor Dei propter se intensus intensiōne absolute summa, non est in nostra potestate cum ordinario actualis gratiæ auxilio; quis enim dixerit, nos cum ordinario actualis gratiæ auxilio posse Deum propter se tam intensè diligere, quam intensè dilexit illum anima Christi Viatoris? Hinc 2. Si præceptum charitatis obligat nos ad intentionem summam absolute, amor Dei propter se nobis tam intensus præcipitur, adeoque tam intensus ad salutem nobis necessarius est, quam intensum habuit Christus Viator, ac proinde quam intensum nunc Christus habet in cælo; non enim minus intensum habuit in terra, quam nunc in cælo habet. Consequens est intollerabiliter falsum. Ergo, &c.

Non etiam secundum: nam 1. tam gravis obligatio neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque ratione aliqua sufficienter probari potest. Et verò verbis illis Deuter. c. 6. *Ex toto corde, ex tota anima;* & illius Christi Marth. cap. 10. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus,* non aliud probari potest, quam summæ appretiationis à nobis explicitæ necessitas.

2. Si præceptum charitatis obligat ad intentionem summam respectivè, amor Dei propter se appretiativè summus, sed remissus intensivè, urgente præcepto elicitus, turpis est & inhonestus; est enim difformis præcepto, si præceptum obligat ad summam respectivè intentionem. Atqui consequens est intollerabiliter absurdum. Ergo, &c.

3. Denique præceptum charitatis dici non debet obligare, nisi ad amandum Deum modo proportionato excellentiæ bonitatis divinæ. Atqui cum Deus amatur cum appretiatione summa, à nobis explicata, amatur modo proportionato excellentiæ bonitatis divinæ; amatur enim modo, actum quo diligitur, constituyente in eo gradu excellentiæ in genere dilectionis, ad quem nulla pertingere potest dilectio ordinata creaturæ, etiam si intendatur magis ac magis in infinitum, etiam si supponatur infinitè simpliciter intentia, ut patet ex eo, quod dilectioni creaturæ etiam in hac suppositione prævaleat & prædominetur dilectio Dei appretiativè summa, quantumlibet remissa. Ergo, &c.

At inquires. Diligere creaturam cum majori intentione, quam Deum etiam cum summa appretiatione dilectum, est aliquid positivè inordinatum, adeoque præcepto charitatis prohibitum. *R.* hoc neg. Nam v. gr. non est aliquid positivè inordinatum & vituperabile in matre, quod intensius & tenerius diligit filium, quam Deum, quem amat cum summa appretiatione, quemque proinde sic affectivè præfert filio, ut eo affectivè parata sit potius carere, quam gravem aliquam Dei offensam incurrrere: quamvis aliqua laudabilitate morali careat, quam haberet, si Deum non solum cum appretiatione summa, sed etiam cum majori, quam filium, intentione & tenetudine diligeret. Deum igitur cum majori intentione diligere, consilium est, non præceptum. Uti nam omnes Deum non solum cum summa appretiatione, sed etiam cum intentione summa diligemus! Det saltem nobis Deus per gratiam suam, ut

amor ipsius in nobis magis ac magis intensivè augeretur. Sed quæritur. Utrum præceptum charitatis obliget ad referenda omnia ad Deum? Pro resolutione, sit

PROPOSITIO IV.

Præceptum charitatis obligat ad referenda omnia ad Deum.

Prob. Ex S. Thoma 1. 2. q. 100. a. 10. ad 2. ubi sic ait: *Dicendum quod sub præcepto charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet ut omnia referantur in Deum; & ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum.* Angelico Doctore præverat Doctor gratiæ lib. 1. de doctr. christ. c. 22. ubi hæc habet: *Hæc regula dilectionis divinitus constituta est. Diliges, inquit, proximum tuum, sicut te ipsum: Deum verò ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes eam ipsam, quæ confers.* Ratio nostra est, quia præceptum charitatis obligat nos ad diligendum Deum ut finem ultimum rerum omnium. Atqui Deus non diligitur ut finis ultimus rerum omnium, nisi omnia in ipsum referantur. Ergo, &c.

At inquires. Si ita est, homo quotiescumque deliberatè agit, tenetur agere vel ex formali, vel saltem virtuali intentione placendi Deo, adeoque ex actuali affectu charitatis, ipsum ad agendum applicantis, vel perceptibiliter & tunc habet formalem, vel saltem imperceptibiliter, & tunc habet virtutalem intentionem placendi Deo. Consequens admitti non potest. Ergo, &c.

Prob. min. Quia, ut ait S. Thomas artic. proxime citato in Sed contra, *quicumque non servat præceptum (charitatis, cum obligat) peccat mortaliter. Itaque si modus charitatis cadat sub præcepto (adeoque homo teneatur ex affectu charitatis agere, quotiescumque deliberatè agit) sequitur quod quicumque operatur aliquid, & non ex charitate, peccet mortaliter. Sed quicumque non habet charitatem, operatur, non ex charitate. Ergo sequitur, quod quicumque non habet charitatem, peccet mortaliter in omni opere quod facit, quantumcumque sit de genere bonorum: quod est inconveniens.* Unde ulterius sequitur, omnes actus deliberatos infidelium esse peccata mortalia. Item, omnes actus deliberatos fidelium existentium in statu peccati, esse peccata mortalia: nam neque infideles, neque fideles peccatores charitatem habent. Horum autem primum in Bajo damnatum est à summis Pontificibus, consentiente universa Ecclesia. Secundum verò evidenter falsum est, imò & fidei contrarium.

Addo, hominem, si quotiescumque deliberatè agit, tenetur agere ex affectu charitatis, vel perceptibiliter, vel saltem imperceptibiliter, teneri ad actuale amoris Dei propter se exercitium, nunquam, aut ferè nunquam interruptum; quod in hac mortali vita mortaliter saltem impossibile est omnibus hominibus, exceptis fortasse perfectis, qui pauci sunt. Concessa igitur minore; neg. seq. maj. & dico hominem deliberatè agendo, tunc tantum teneri ad agendum ex affectu charitatis id quod agit, cum urget præceptum referendi omnia in Deum. Pro quo

Nota. Præceptum referendi omnia in Deum non obligat pro semper, cum sit præceptum affirmativum. Et verò præceptum referendi omnia in Deum, & præceptum diligendi Deum propter se, sunt unum & idem indivisibiliter præceptum affirmativum charitatis: cum enim præceptum charitatis obligat ad diligendum Deum propter se, obligat ad eum diligendum propter se ut finem ultimum rerum omnium; nec obligat ad referendum omnia in Deum, nisi obligando ad diligendum Deum propter se ut finem ultimum rerum omnium.

Obligatio igitur referendi omnia in Deum non urget, nisi cum urget obligatio diligendi Deum propter se. Unde cum obligatio diligendi Deum propter se non

non urgeat pro semper, ita nec urget pro semper obligatio referendi omnia in Deum. Homo itaque non tenetur referre in Deum actionem suam, scilicet, quod idem est, non tenetur agere propter Deum, quotiescumque deliberat agit, quia obligatio referendi omnia in Deum non urget pro semper, sicut non urget pro semper obligatio diligendi Deum propter se.

Hæc cerè certius est doctrina S. Thomæ, quam tradit art. citato ad 2. ubi post verba à nobis superius laudata, sic statim prosequitur: *Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare* (quando re ipsa ad id ex charitate tenetur) *non ex vi huius præcepti, quod est, Honora parentes: sed ex vi huius præcepti, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et cum ista sint duo præcepta affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare; & ita potest contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum (parentes scilicet honorando hic & nunc ex affectu honestatis moralis, quæ relucet in honorandis parentibus, quia parentes sunt, vel alterius cuiuscunque, sed diversæ ab honestate charitatis,) non tunc transgrediatur præceptum de omissione modi charitatis (hoc est, præceptum obligans ad modum charitatis;) quia nimirum contingere potest, ut hoc præceptum, cum non urgeat pro semper, non obliget pro eo tempore, pro quo obligat præceptum honorandi parentes.*

Igitur, juxta S. Doctorem, præceptum obligans ad modum charitatis, hoc est, ad agendum ex affectu charitatis, seu ad referendum ad Deum id quod agitur (quod præceptum continetur his Scripturæ verbis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, adeoque est ipsum speciale charitatis præceptum) cum sit præceptum affirmativum, non obligat pro omni tempore, ac proinde non obligat pro omni omnino actione deliberata; & sic homo non tenetur omnem omnino actionem deliberatam referre ad Deum; seu, quod idem est, non tenetur ex affectu charitatis agere, quotiescumque deliberat agit; sed sufficit, si identidem ex affectu charitatis agat id, quod agit deliberat, quando scilicet aliquid agit, urgente præcepto charitatis, adeoque urgente obligatione se suæque omnia referendi in Deum tanquam rerum omnium finem ultimum. Hinc.

Supponamus Titium hic & nunc urgeri præcepto honorandi parentes, & re ipsa ut huic præcepto satisfaciatur, parentibus honorem exhibere ex affectu pietatis in illos, & non ex affectu charitatis in Deum. In hac suppositione, vel etiam hic & nunc urget præceptum charitatis, vel non urget: cum enim non ad semper, sed solum identidem obliget, contingere potest, ut obliget, obligante præcepto honorandi parentes, & contingere potest, ut non obliget. Si primum, Titius peccat mortaliter, non quidem contra præceptum honorandi parentes; hoc enim præceptum nec obligat, nec obligare potest ad modum charitatis; sed contra charitatis præceptum, quo tenetur hic & nunc se suæque omnia referre in Deum, quodque proinde transgreditur, non referendo in Deum honorem illum, quem actu exhibet parentibus. Si secundum, nullo modo peccat: nam nec peccat contra præceptum honorandi parentes, quod hic & nunc implet; nec peccat contra præceptum charitatis, quod supponitur hic & nunc non urgere, adeoque non obligare Titium ad referendum hic & nunc in Deum omnia, & ita non obligare Titium ad referendum hic & nunc in Deum actionem illam, qua parentes honorat. Et hæc est manifestè doctrina S. Thomæ.

Porro sicut præcepto charitatis, quæ obligat ad diligendum Deum propter se, respondet præceptum negativum, quod obligat pro semper, & quo prohibetur, ne odio habeatur Deus, eique malum aliquod optetur: ita eidem præcepto charitatis, quæ obligat ad referendum omnia in Deum, respondet præceptum negativum, quod pro semper obligat, & quo prohibetur, ne positive usum in aliquo bo-

no creato, vel, ut loquitur S. Augustinus, ne fruamur aliquo bono creato. Hoc præceptum negativum luculenter exprimit S. Doctor lib. 1. de doctr. christ. c. 22. his verbis: *Cum autem ait, Tota corde, tota anima, tota mente, nullam vitam nostram partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quod totius dilectionis impetus currit.* Positive autem in bonis creatis sistere, vel, si vis, bonis creatis frui, est illa propter se diligere, & in illis beatam vitam constituere, ut patet ex S. Doctore ibidem. Peccant igitur contra hoc negativum præceptum charitatis, qui divitias, honores, voluptates etiam licitas diligunt propter se, & in illis beatam vitam constituunt.

ARTICULUS IX.

Utrum præceptum charitatis obliget non solum ad diligendum Deum propter se, sed etiam ad diligendum proximum propter Deum.

RESPONSIO I.

Unusquisque tenetur ex charitate proximum suum diligere.

Prob. Nam legitur Matth. c. 22. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum;* ubi sicut non omnimodam æqualitatem, sed similitudinem significat, juxta Patrum interpretationem. Quod autem his verbis præceptum exprimat, manifestum est ex contextu. Et Joan. cap. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Et inferius: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Et 1. Joan. cap. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo: ut qui diligit Deum, diligit & fratrem suum.*

Ratio autem est, quia hoc ipso quod Deum diligere propter se tenemur, tenemur etiam propter ipsum diligere quicquid ad eum pertinet, vel ut amicus ejus, vel ut capax ejus amicitie. Atqui proximus noster sic pertinet ad Deum. Ergo idem charitatis præceptum obligat nos ad amandum Deum propter se, & proximum nostrum propter Deum. Hinc illud 1. Joan. c. 3. *Qui non diligit (proximum suum) manet in morte,* quia nimirum non implet præceptum charitatis. Et illud c. 4. *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est;* quia si diligimus proximum nostrum propter Deum, à fortiori ipsum Deum propter se diligimus, & sic præceptum charitatis implemus.

RESPONSIO II.

Præceptum charitatis, etiam quatenus pertinet ad proximum, obligat ad actum internum.

Prob. 1. ex Script. Nam cum dicitur, *Diliges proximum tuum*, to diliges debet sumi in sensu proprio; nam ad sumendum in sensu improprio nulla ratio cogit. Præterea to diliges tam sumi debet in sensu proprio, cum dicitur, *Diliges proximum tuum*, quam cum dicitur, *Diliges Dominum Deum tuum.* Atqui to diliges, in sensu proprio significat actum internum. Ergo, &c. Quod confirmatur ex eo, quod non precise dicitur, *Diliges proximum tuum*, sed, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Nam sic argumentor. Unusquisque tenetur diligere proximum suum sicut se ipsum. Sed unusquisque diligit se ipsum actu interno, quo vult sibi bene esse. Ergo, &c.

Prob. 2. autoritate Innocentii XI. à quo damnata fuit hæc propositio: *Præceptum proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Et ista: *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.*

Prob. 3. autoritate S. Augustini lib. 3. de doctr. christ. c. 10. ubi loquens de charitate à Deo præcepta, sic ait: *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum.*

Prob. 4. ratione. Præceptum affirmativum diligendi proximum, præcipit actum, cujus contrarium pro-